

per mille ac ferme viginti annos Ecclesiam Romanam azymos panes in Missa Sacrificio adhibuisse. Verum, quemadmodum ex Mabillonii argumentis evincitur, antiquissimum esse in Ecclesia Romana usum consecrandi in pane azymo, ipsique Apostolorum temporibus coævum, ita minus evidentiā extant argumenta, quibus probatur, Ecclesiam Romanam per aliquot sæcula panem tam fermentatum, quam azymum in consecratione Eucharistiæ adhibuisse. Id primo colligitur ex more, qui antiquitus in Ecclesia obtinebat, juxta quem populus Christianus, sicut legitur in multis Conciliis, panem a Sacerdote consecrandum in Sacrificio Missæ offerebat, quem deinde in sacra Communionem participaret. Porro, hic panis, quem offerebat populus, & quem Sacerdos consecrabat, alius sane non erat, quam panis communis & usitatus, cum in primis Ecclesiæ sæculis, grassante atrociter Tyrannorum persecutione, sæpe in cryptis & in carceribus, sæpe occulte & ex occasione Sacrificium Missæ celebrari oporteret, nec azymum ubique conficere, aut paratum fideles, præsertim pauperes, habere haud possent. Hinc Tertullianus lib. 2. ad uxorem cap. 5. ait: *Non sciet maritus quid secreto ante omnem cibum gustes, & sciverit panem, non illum credet esse qui dicitur.* Facile autem scire potuisset maritus, vel saltem aliquid suspicari, si panis, quem mulier ad Sacrificium offerebat, & quem a Sacerdote consecratum domi clanculum, vel coram marito manducabat, non fuisset usitatus, seu fermentatus. Externa enim species, quam hic panis consecratus a specie panis communis, id est, fermentati, diversam habuisset, aliquam confestim suspicionem marito ingessisset. Id etiam confirmari potest discrete testimonio Sancti Ambrosii lib. 4. de Sacramentis cap. 4. sic fidelem alloquentis: *Tu forte dicis: meus panis est usitatus? Sed panis iste panis est ante verba Sacramentorum, ubi accesserit consecratio, de pane fit Caro Christi.* Panem autem azymum nemo, quem sciam, appellavit unquam panem usitatum. Adhæc, accedunt Decreta Romanorum Pontificum Melchiodis, Siricii, & Innocentii Primi, qui oblationes in altari consecratas appellant Fermentum. De Melchiade hæc in ejus Vita leguntur. *Hic fecit ut oblationes consecratae per Ecclesias ex consecratione Episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum.* Idem de Siricio Papa legitur in ejus Vita. *Innocentius vero hujus nominis Primus in Epistola, quam scripsit ad Eugubinum Episcopum, verat, ne Fermentum a se consecratum, quod per titulos Urbis Romæ, id est per Parochias mitti solemne erat, extra Urbem per Parochias deferretur, quia, inquit, non longe portanda sunt Sacramenta, quibus verbis aperte innuere videtur Summus ille Pontifex, Fermentum istud fuisse Sacro-Sanctam Eucharistiæ, non vero Eulogias simplices, ut visum est Baronio; Eulogias siquidem longe deferri nihil omnino prohibebat. Præterquam quod hæc Consecrationis vox, quam usurpant Summi Pontifices Melchiodis, & Siricii cum loquuntur de hoc Fermento, quod per Ecclesias mittebatur, non obscure insinuat, hoc Fermentum non fuisse Eulogias, quæ, ut constat apud omnes, in altari non consecrabantur,*

sed solum precibus benedicebantur, & in symbolum Catholicæ in fide, & in charitate communionis fidelibus distribuebantur, & ad absentes, juxta præseum Ecclesiæ usum, deferiebantur. His itaque momentis patet, Ecclesiam Romanam per aliquot sæcula panem tam azymum, quam fermentatum in consecratione Eucharistiæ promiscue adhibuisse, ac subinde mirum non esse, quod Photius Patriarcha Constantinopolitanus, dum perstrinxit Latinorum ritus, nullam eis litem de azymis moverit, cum Ecclesia Romana tempore Photii consuetudinem adhuc retineret conficiendi Eucharistiæ tam in pane azymo, quam in fermentato. At in undecimo Ecclesiæ sæculo Michael Cerularius Patriarcha Constantinopolitanus controversiam contra Latinos de azymis excitavit, & propter eorum usum Latinam Ecclesiam proscripsit, quia Ecclesia Latina illo temporis intervallo, quod Photium inter & Cerularium intercessit, non permisit amplius promiscuum usum conficiendi Eucharistiæ in pane seu azymo, seu fermentato, sed sanxit, ut deinceps in solo pane azymo Latini Eucharistiæ consecrarent. Hic tamen obiter velim observes, quod licet Ecclesia Romana permittat etiamnum Græcis Catholicis usum consecrandi Eucharistiæ in pane fermentato, usus tamen Ecclesiæ Romanæ in azymo consecrantis longe Scripturæ Sacræ convenientior est, quippe qui defenditur exemplo Christi Domini, quem in azymo, pridie quam pateretur, Sacro-Sanctam Eucharistiæ instituisse, ex sacris Evangelistis Mattheo, Luca, & Marco, omnique argumentorum genere demonstravi speciali Dissertatione in Tractatu, quem edidi, de *Mysteriis, & annis Christi*, quam, si tibi per otium liceat, lectitare poteris.

D. Narrabat mihi nuperime quidam Scoti Discipulus, subtilem suum Doctorem in IV. Sent. Distinct. 11. quæst. 5. docere, quod sub Leone Papa (sunt ipsissima Scoti verba, quæ adhuc memoria teneo) fuit hæresis servans legem cum Evangelio. Et tunc æ viderentur Latini servare legem Judæorum, præceptum fuit conficere in pane fermentato. Sed quando rediit fides, & invaluit, usi sunt Latini pane azymo. An illa Scoti Doctoris subtilis historia vera sit, vel fabulæ loco haberi debeat, paucis declarare non te pigeat.

M. Ubinam gentium subtilis Doctor Scotus hanc Historiam expiscatus fuerit, plane me fugit. Certe nihil ejusmodi legitur in scriptis illius Pontificis Romani, qui Leonis nomine fuit donatus. Alitum quoque ea de re in Epistolis Leonis IX. Papæ silentium. Nullum apud veteres Historicos istius narratiunculæ vel minimum apparet vestigium. Hanc igitur Historiolam summo omnium antiquorum silentio falsitatis convictam, & citra ullam probationem a Scoto, alitque nonnullis Scriptoribus Scholasticis memoriæ proditam omnes hujus temporis Viri eruditi jure merito rejiciunt, eamque inter aniles fabulas ablegandam esse consentiunt, quorum judicio utroque pollice lubens subscribo.

D. Præter istas Controversias nono Ecclesiæ sæculo excitatas, quas hæcenus accurate exposuisti, prodieruntne aliqua Hæreses, quæ Fidei Catholicæ doctrinam oppugnant?

M. Hæ-

M. Hæresim Vigilantiæ, qui, ut jam diximus in nostris Colloquiis in Historiam quinti Ecclesiæ sæculi, sacrarum Reliquiarum venerationem, Sanctorum cultum & invocationem, necnon sacras peregrinationes damnabat, instauravit nono Ecclesiæ sæculo Claudius natio Hispanus, sicut testatur Jonas Aurelianensis initio lib. 1. de Cultu Imaginum, non vero Hibernus, ut fert communis error, quem secutus est Usserius. Hic Claudius, cum ex Hispania in Gallias venisset, in Palatio Ludovici Pii Imperatoris versatus est, ubi Presbyteri munia obivit, & ejusdem Principis clementia Episcopus Taurinensis subrogatus est Ecclesiæ, quo fit ut vulgo nuncupetur Claudius Taurinensis. Adversus errores, quos sparsit ille Hæreticus, & quibus insensavit Ecclesiam, perdocte scripserunt Jonas Aurelianensis Episcopus, & Dungalus Diaconus noni sæculi Scriptorum, quorum Opera recensimus in Colloquio quinto, in quo agemus de Viris illustribus, qui nono sæculo floruerunt, ibidemque referemus libros, quos edidit Claudius Taurinensis Hæreticus Antistes.

Eodem sæculo nono Joannes Scotus Erigena varios profudit errores, præcipue circa prædestinationem, quam juxta Pelagianorum hæresim explicabat; & circa Eucharistiæ, quam verum Christi Corpus, verumque Sanguinem continere infructu ore negavit, asseruitque, eam dumtaxat esse memoriam, & figuram Corporis Christi Domini. Quocirca hic Joannes Erigena præfuit Berengario, qui undecimo Ecclesiæ sæculo Sacramentorum parens fuit, & ad suum adstruendum errorem, Scripturæ & traditioni omnino oppositum, inausulto maleque nato Joannis Scoti Erigenæ libro plurimum usus est. Sed de Joanne Scoto Erigena, ejusque Operibus plura in Colloquio quinto dicemus.

#### COLLOQUIUM IV.

De Conciliis, quæ ad Fidem stabilendam, & sancendam Ecclesiæ disciplinam, nono sæculo fuerunt convocata.

D. CUM Ecclesia ad dirimendas fidei Controversias & sancendam Ecclesiæ disciplinam Concilia celebrare soleat, Colloquium nostrum ab his Conciliis auspiciari debemus, quæ nono sæculo in causa Gothescalci Monachi Corbejenensis, & Photii Patriarchæ Constantinopolitani habita sunt. Deinde ad ea progrediemur Concilia, quæ eodem sæculo ad referendam Ecclesiæ collapsam disciplinam variis in locis fuerunt convocata.

M. Causa Gothescalci in sex Conciliis, Moguntino videlicet, duobus Carisiacis, Valentino III. Lingonensi, & Tullensi ventilata ac discussa fuit. Concilium Moguntinum adversus Gothescalcum anno DCCCXLVIII. in Urbe Moguntina indixit Rabanus ejus Urbis Archiepiscopus, cui Gothescalcus professionem suam, quam edidit de gemina Prædestinatione, obtulit, una cum libello, in quo eundem Archiepiscopum in quæstionibus de libero arbitrio, de Voluntate Dei, & de Redemptione Sanguinis Christi pro omnium salute effusi Semipelagianismi insinulavit. In hoc Concilio Mo-

guntino damnatus est Gothescalcus, & ad Archiepiscopum Remensem suum Metropolitanam remisus est. Gothescalci causæ cognitionem suscepit Hincmarus, eoque instigante in Synodo apud Carisiacum, vulgo Kiersi, Villam Regiam super Isaram in pago Sueffionensi, congregata, non solum damnatus est miserabilis ille Monachus, sed etiam verberibus castigatus libellum, in quo doctrinam suam exposuerat, eamque Scripturæ Sacræ & Sanctorum Patrum præsertim Sancti Augustini menti consentaneam esse pertendebat, coram Patribus igni tradere compulsus est, & in ergastulo cellæ Monasterii Altvillarensis reclusus fuit, ne doctrinam suam, quam Patres Synodi Carisiacæ hæreticam judicarent, aliis instillaret, latiusque propagaret. Alteram Synodum Carisiacam anno DCCCLIII. indixit Hincmarus, in qua ad reprobendam Gothescalci doctrinam quatuor condita sunt Capitula, quorum primum est: *Quod una tantum sit prædestinatio Dei.* Alterum. *Quod liberum hominis arbitrium per gratiam sanetur.* Tertium: *Quod Deus omnes homines velit salvos fieri.* Quartum: *Quod Christus pro omnibus hominibus passus sit.* Verum, hæc Synodi Carisiacæ in Gothescalcum agendi ratio, sicut & quatuor laudata Capitula, quæ ad confingendam Gothescalci doctrinam condidit eadem Synodus, valde displicerunt Patribus Concilii Valentini III. quod jussu Lotharii Imperatoris convocatum est anno DCCCLV. & cui quatuordecim Episcopi trium Provinciarum Lugdunensis, Viennensis, & Arelatenfis interfuerunt. In hoc siquidem Concilio Valentino congregati isti Episcopi, circa quæstiones de Prædestinatione, & Voluntate Dei salvandi homines, & de Redemptione Sanguinis Christi pro salute hominum effusi, quas Gothescalcus & Joannes Scotus Erigena in Ecclesiam invexerant, de quibus in Synodo Carisiaca ante biennium acutatum fuerat, ac de quibus contra Synodum Carisiacam scripserat Ecclesia Lugdunensis; circa, inquam, controversas illas quæstiones Episcopi congregati in Synodo Valentina tertia ediderunt sex Canones, quibus non solum in sententiam omnino contrariam doctrinæ quatuor Capitulis Carisiacis comprehensæ descendere videntur, sed etiam conceptis verbis Canone quarto explodunt & gravi censura perstringunt quatuor prædicta Capitula his verbis: *Porro Capitula quatuor, quæ a Concilio fratrum nostrorum minus prospecte suscepta sunt, propter inutilitatem, vel etiam noxietatem, & errorem contrarium veritati; Sed & alia novemdecim syllogismis ineptissime conclusa, & licet jactentur, nulla seculari literatura nitentia, in quibus commentum Diaboli potius, quam argumentum aliquod fidei deprehenditur, a pio auditu fidelium penitus explodimus, & ut talia & similia caveantur, per omnia auctoritate Spiritus Sancti interdiciamus.* Doctrinam Patrum Concilii Valentini, circa quæstiones controversas sex Canonibus expressam, & quatuor Capitulis Carisiacis oppositam, suo calculo comprobant Patres Concilii Lingonensis celebrati anno octingentesimo quinquagesimo nono, & Episcopi ex duodecim Provinciis eodem anno congregati in Synodo Tullensi apud Saponarias, assidentibus Carolo Calvo, ejusque nepotibus Lothario & Carolo Regibus.

H 4

D. Nec



D. Necdum, ut candide fatear, satis capio, cur Patres Concilii Valentini tertii damnarint quatuor Capitula, quæ in Synodo Carisiaca condita sunt, Fidemque Catholicam adstruunt, qua tenemur credere, & confiteri, Deum velle omnes salvos fieri, & Christum Servatorem nostrum pro omnibus hominibus esse passum. Certe nunquam adduci poterit ut credam, Episcopos Concilii Valentini in hoc fidei dogmate, quod fidelibus semper credendum proposuit Ecclesia Catholica, ab Episcopis Carisiacæ Synodi dissentire voluisse.

M. Patres Synodi Valentiniæ tertie ideo damnarunt quatuor Capitula Carisiaca, & præsertim quartum, quo statuitur, Christum pro omnibus hominibus mortuum fuisse, quia errore facti putarunt, Auctores Capitulorum Carisiacorum definire voluisse, Christum eadem ratione, eodemque plane sensu esse mortuum pro iis, qui in infidelitate vel impietate sua mortui, vel morituri sunt, ac pro illis, qui per gratiam Christi sanctificati in ea perseverant & salvantur. Hunc, inquam, perverbum sensum, quem Patres Concilii Valentini capitulo IV. Carisiaco errore facti tribuerunt, damnare dumtaxat voluerunt, sed revera illius quarti Capituli Carisiaci doctrinam recte intellectam non attigerunt. Carisiaci enim illius Capituli sensus verus & genuinus est, Christum sufficienter quidem mortuum esse pro impiis, qui in impietate mortui sunt, licet efficaciter tantum pro illis mortui sit, qui salutem æternam consequuntur. Hunc verum quarti Capituli Carisiaci sensum a Patribus Synodi Valentiniæ non fuisse damnatum, patet primo, quia si illum condemnassent, hæc damnatio recideret in S. Prosperum, excujus verbis Capitulum istud quartum Carisiacum concinatum est. Secundo, quia Patres Valentini, ut probent, Christum Dominum non esse mortuum pro impiis, qui in impietate sua mortui æterna damnatione puniti sunt, proferunt Oraculum Prophetæ Osee dicentis: *Ero mors tua o mors! ero morsus tuus Inferne*; unde recte inferunt, Christum pro impiis, qui in impietate sua mortui æternis flammis erant addicti, non esse efficaciter mortuum ut eos ex inferno eriperet, sicut Patres liberavit ex Limbo. Non negant tamen Christum pro illis impiis mortuum esse sufficienter, ac subinde non damnant verum sensum quarti Capituli Carisiaci, sed alium quemdam peregrinum sensum, quem prædicto Capitulo errore facti tribuunt. Idem de aliis tribus prioribus Capitulis Carisiacis, quæ a Patribus Synodi Valentiniæ fuerunt damnata, dicendum esse censeo. Nec enim Patres Synodi Valentiniæ verum illorum trium Capitulorum sensum, qui certe Catholicus est, confingere voluerunt, sed alium dumtaxat sensum, quem his Capitulis Carisiacis errore facti adscriperunt. Hunc autem errorem facti ortum esse existimo ex æmulatione Antistitum, qui, cum diversis Regibus id temporis parerent, facile, ut assolet, in contraria studia scissi sunt. Quatuor siquidem Carisiaca Capitula ab Episcopis Regni Caroli Calvi condita sunt; Valentini vero Canones ab Episcopis Regni Lotharii conscripti fuerunt. Hinc Antistites, qui Valentiniæ Synodo interfuerant, cum postea sedatis animis, reque melius explorata ad Synodum Lingonensem,

quæ habita fuit an. DCCCLIX. convenerunt, Valentinos a se editos Canones ita probaverunt, ut quatuor Carisiacorum censuram, quæ his verbis incipit: *Porro Capitula quatuor fratrum nostrorum &c. expungi voluerint. Eiusdem Censuræ expunctionem approbavit Synodus Tullensis, quæ apud Saponarias ex duodecim Provinciis congregata Synodum Lingonensem quindecim post dies secuta est, in qua relectus & confirmatus est Canon quartus Concilii Valentini III. absque illa Censura, quia Patres Valentini huic Canoni quarto se inferuerant, quæque, ut mox diximus, incipiebat his verbis Porro Capitula quatuor fratrum nostrorum &c. Hortatur etiam Can. x. eadem Synodus Tullensis dissidentes Episcopos, quorum præcipui erant Remigius Lugdunensis, & Hincmarus Remensis, ut simul conveniant, & prolatis Sanctarum Scripturarum, atque Catholicorum Doctorum sententiis, quæ sanctorum sunt concordia unanimitate sequantur. Qua efficaci adhortatione commoti Episcopi, depositis hinc inde dissidiis, pacem ac concordiam inierunt, quorum exemplum utinam æmularentur, vel saltem paci silentio litare vellent hujus sæculi Theologi, qui (proh dolor!) de iisdem questionibus, quæ nono Ecclesiæ sæculo turbas, heu nimium! excitarunt, etiamnum magna animorum contentione inter se altercantur, digladiantur, tumultuantur, discidentes Christianam concordiam, sine qua perperam Christiani nomine gloriamur.*

D. Numquid præter istas controversas quæstiones, quæ spectant prædestinationem & voluntatem Dei salvandi homines, aliud quidpiam actum est in Conciliis Valentino Tertio, Lingonensi, & Tullensi?

M. Præter controversas istas quæstiones, multi Canones ad sancendam Disciplinam Ecclesiasticam in Conciliis Valentino III. & Tullensi conditi sunt. Concilium Valentinum viginti tres confecit Canones, quorum sex priores, ut jam diximus, spectant controversas quæstiones de prædestinatione & voluntate Dei salvandi homines, exploduntque quatuor Capitula, quæ ab Hincmaro Remensi Archiepiscopo contra Gothescalci doctrinam composita Synodus apud Carisiacum anno octingentesimo quinquagesimo tertio approbans susceperat. Alii vero ejusdem Synodi Valentiniæ Canones pertinent ad Disciplinam Ecclesiasticam, quorum decimus Episcopus de controversis quæstionibus in Conciliis Valentino III. & Carisiaco agitatæ inter se dissidentes ad pacem & concordiam adhortatur. Alii vero Canonibus sancitur Disciplina Ecclesiastica. Actum est etiam in eadem Synodo Tullensi de procuranda pace inter Carolum Calvum Francorum Regem, & ejus fratrem Ludovicum Germaniæ Regem, & discussa quoque est causa Wenilonis Archiepiscopi Senonensis, qui a Carolo Calvo defecerat, eamque sopitam fuisse, aut Wenilonem purgatum, & Regi reconciliatum asserit Annalista Bertinianus, idque etiam ex eo patere videtur, quod anno octingentesimo sexagesimo Wenilo Archiepiscopus Senonensis Synodo secundæ Tullensi interfuerit, nec ulla deinceps ejus causæ in Synodis, aut in monumentis publicis habeatur mentio. Denique, in eadem Tullensi Synodo agitata est causa Britonum Episcoporum, quæ in hoc sita erat, quod

ante

ante Nomenojum minoris Britannia Ducem omnes Britonum Episcopi Turonensi Metropolita semper paruerant. At Nomenojus nolens suæ ditionis Episcopos subesse Metropolita Turonensi, Dolensem Episcopum constituit Metropolitanum. Quo factum est, ut Britonum Episcopi sese a Metropolita Turonensis jurisdictione subduxerint, & deinceps Archiepiscopo Dolensi tanquam Metropolita subditi fuerint. Hæc lis inter Archiepiscopos Turonensem & Dolensem excitata diu sub iudice fuit, quia Nomenojus minoris Britannia Dux in sua contumacia persistit, irritasque reddidit omnes Romanorum Pontificum admonitiones. Quare hæc suborta controversia de creatione Dolensis Metropoleos duravit ad XIII. sæculum, hoc est, usque ad Innocentium Tertium Summum Pontificem, qui, re diligenter excussa, iussit, ut Dolensis Archiepiscopus Turonensi Metropolita esset omnino subjectus. Plura de hac Britonum Controversia leges apud doctissimum Mabillonium parte II. sæculi IV. Benedictini, ubi de ea copiose differit partim ex Indiculo de Episcoporum Britonum depositione a Patre Sirmondo Societatis Jesu inter Analesta ad Capitula Caroli Calvi publicato, partim etiam ex Vita Sancti Conuonjonis Abbatis Monasterii in Diocesi Venetensi siti, quam ab Auctore Anonymo incerto tempore scriptam, ibidem refert, ac doctissimis Notis illustrat Mabillonius (a).

„ (a) Præ his omnibus multo etiam plura  
„ & certiora de controversia Dolensis Episco-  
„ patus disces ex collectione Actorum ad eam  
„ controversiam spectantium, quam ex Archi-  
„ vo Turonensis Ecclesiæ evulgarunt PP. Mar-  
„ tene & Durand Anecd. tom. III. pag. 457.  
„ ex fragmento historię Britannia Armorica  
„ in Anecdotis illis ante acta Dolensia præmis-  
„ so, & ab auctore saltem XII. sæculi scripto,  
„ discimus Nomenojum a Leone IV. obtinuisse,  
„ ut Synodo habita, discuteretur causa Episco-  
„ porum quorundam, quos Dux ille expulerat tan-  
„ quam graviorum criminum reos expostulatos.  
„ Episcopi illi licet innocentes per fraudem cir-  
„ cūventi arte Nomenoji reos se coram ea Sy-  
„ nodo agnoverunt. Qua de causa illis depositis,  
„ jussu Synodi alii, quos maxime Dux ille vole-  
„ bat, substituti sunt, eorumque novorum Epi-  
„ scoporum molimine novæ aliæ Episcopales Se-  
„ des in Britannia erectæ sunt, inter quas princi-  
„ pem locum obtinere voluerunt Dolensem. Hæc  
„ auctor ille; in nonnullis tamen a P. Martene  
„ sublestæ fidei accusatus, cum Dolensis Episco-  
„ patus non tunc primo cæptus, sed restitutus  
„ porius judicandus sit. Vide ejus præfationem ad  
„ acta illa Dolensia.

D. Cum Gothescalci Monachi Corbejenfis causa pluribus in Conciliis nono Ecclesiæ sæculo fuerit agitata, nullus dubito, quin Controversia occasione Schismatis Photii Patriarchæ Constantinopolitani excitata, locum itidem dederit eodem sæculo celebrandi Concilia, quæ & quando fuerint convocata, quidve in his actum definitumque sit, exponendi onus tibi impræsentiarum incumbit.

M. Id oneris eo lubentiori animo suscipio, quod jam in præcedentibus nostris Colloquiis ostendi-

mus originem & progressum Schismatis Photiani, ad cujus subinde absolutam omni ex parte notitiam comparandam hoc unum dumtaxat desiderari videtur, ut ea in medium proferamus Concilia, in quibus excussa & adjudicata fuit causa Photii, qui Ecclesiam Græcam a Latina diro Schismate separavit. Et in primis, Nicolaus I. Pontifex Maximus, qui Rodoaldum, & Zachariam Legatos Constantinopolim miserat (a), ut inquirerent in depositionem Sancti Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani factam in Conciliabulo Constantinopoli habito anno octingentesimo quinquagesimo nono; Nicolaus, inquam, Papa statim ac percepisset, Legatos suos nimis a Photio concussos, muneribusque illectos demandatum sibi officium sœda prodicione dehonestasse, eosque in altero Conciliabulo Constantinopoli anno DCCCLXI. congregato ratam habuisse Sancti Ignatii depositionem, & Photii in ejus Sedem intrusi ordinationem approbasse; ut hanc Legatorum suorum puniret perfidiam, & Photium in ordinem redigeret, Romæ an. DCCCLXIII. celebravit Concilium, quod in Libello Synodico his verbis memoratur: *Quod cum S. Papa Nicolaus percepisset (nempe Conciliabulum Constantinopoli adversus S. Ignatium convocatum) neque enim latere poterat tantum maleficium publice commissum in locum tenentes suos, idest Legatos, Rodoaldum, & Zachariam, accurata inquisitione facta, cum ex propria eorum confessione reperisset, munera ipsos accepisse, perpetuæ depositioni Rodoaldum, & Zachariam subjecit, denique & congregata Synodo, Photium ut adulterum & invasorem anathemate notavit, quæque ab eo, & sub eo acta essent, minime recipienda esse definivit: quin & omnibus, qui ei communicabant, Michaeli ipsi Imperatori subditis, Principibus, & reliquis Sanctis Patriarchis depositionem denunciavit.*

„ (a) Antequam Legati Constantinopolim mit-  
„ terentur causam Ignatii & Photii discutiri,  
„ Romæ Synodum habitam ego elicere mihi vi-  
„ susum ex Epistola 9. Nicolai ad Michaellem  
„ Imperatorem, cujus hæc sunt verba: *Rodoal-  
„ dum, & Zachariam una cum Ecclesia, quæ apud  
„ nos est, Constantinopolim direximus.*

„ Aliud etiam Concilium Romæ habuit Nico-  
„ laus, cum ex Legato Michaelis Imperatoris di-  
„ dicit ea, quæ acta sunt Constantinopoli in de-  
„ positione Ignatii, & promotione Photii; quod  
„ Concilium indicatur a Nicolao in Epistola I.  
„ ad universos Catholicos, dum idem Legatus  
„ Constantinopolitanus adesset: *Convocata tota quæ  
„ apud nos est Ecclesia, decrevimus, & statvimus,  
„ atque professi sumus coram ipso pro dejectione Igna-  
„ tii, & consecratione Photii, nunquam misisse,  
„ nunquam missuros esse; & in depositione &c. nun-  
„ quam consensisse, nunquam consensuros esse.*

In eadem Synodo Romana anathemate itidem confossus est Gregorius Syracusanus omnium malorum auctor cum suis fautoribus. Sanctus Ignatius vero in pristinum gradum, quo injuste dejectus fuerat, restitutus est, suæque pariter sedes recuperarunt Episcopi, qui in odium Ignatii fuerant, instigante Photio, depositi, & in exilium



exilium amandati. De his omnibus, quæ in hac Synodo Romana decreta fuerant, cum primum Photius certior factus fuisset, sibi temperate haud potuit, sed furoris cestro percitus eo audaciâ prorupit, ut anno octingentesimo sexagesimo septimo Constantinopoli coacto Conciliabulo, cujus Michael Imperator contra Ecclesiæ ordinem sese Præsidem gessit, subornatis impostoribus, qui se Vicarios ac Legatos Patriarcharum Orientalium mentiti sunt, accusatoribus, testibusque pecunia corruptis, conficta crimina Sanctissimo Papæ Nicolao I. impegit, eumque, effractis omnibus debitæ reverentiæ claustris, anathemate percellere non erubuit. Huic sacrilegæ & a sæculis inauditæ Photii remeritati unus & viginti Episcopi, quibus fortuna magis, quam Religio cordi erat, subscripserunt; cæteris tamen, quamvis improbis præsulibus, huic tam insolenti ausui, & impudenti facinori refragantibus, palamque in hoc Conciliabulo conclamantibus: *Non esse justum in Summum & primum Pontificem, præcipue ab inferiori, quomodolibet sententiam proferri.* Abrupto hunc in modum Orientalem inter & Occidentalem Ecclesiam pacis & concordie vinculo, totus in eam curam incubuit Photius Sedis Constantinopolitanæ inuasor ut Schisma a se constatum roboraret. Quamobrem Encyclicas ad Patriarchas, & Episcopos Orientis litteras dedit, calumniis & atrocibus injuriis in Ecclesiam Romanam scatentes, seque tam fœda assentatione in Michaelis Imperatoris animum insinuavit, ut ab impio illo Principe, qui ei impense patrociniabatur, facultatem obtineret Synodum contra Nicolaum I. Summum Pontificem convocandi. Photius itaque congregata Pseudo-Synodo exauktionis & anathematis sententiam in hunc Sanctissimum Romanum Pontificem, pro scelus! iterum ferre non erubuit, tamque nefandum crimen, quamdiu vixit Michael Imperator, impune tulit. Sed cum Michael Imperator, Deo ultionum permittente, cæsus fuisset anno octingentesimo sexagesimo septimo, Basilii, qui statim Imperator Orientis saluatus est, Photium e Sede Constantinopolitana, quam invaserat, deturbavit, & Sanctum Ignatium legitimum Patriarcham ab exilio revocatum Sedi Constantinopolitanæ summo cum omnium Ordinum applausu restituit. Inter hæc faustissima utriusque Ecclesiæ concordie exordia ad immortalem vitam migravit Nicolaus I. eique successit Hadrianus hujus nominis II. qui Romæ anno dccclxviii. indixit Concilium, in quo Photio ter anathema dictum est, ejusque libellus contra Nicolaum I. Romanum Pontificem ultricibus flammis fuit additus. Acta hujus Synodi Romana refert Anastasius Bibliothecarius in Vita Hadriani II. Denique sedente eodem Pontifice Hadriano II. & imperante in Oriente Basilio coacta est Constantinopoli anno dccclxix. Synodus octava Generalis, quæ dicitur Constantinopolitana quarta, in qua Episcopi damnationi Photii subscripserunt calamis non solum atramento, sed etiam tremendo Sanguine Christi delibuitis,

ut testatur Nicetas in Vita S. Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani.

D. Circa istam octavam Synodum generalem, in qua universalis Ecclesiæ judicio damnatus est Photius, velim in primis scire a quo fuerit convocata? Dein, quos Præsides habuerit? Tertio, quid in ea gestum sit? Postremo, quot Canones in ea conditi sint?

M. Octava Synodus Generalis, quæ est Constantinopolitana quarta, indicta fuit ab Hadriano II. Pontifice Maximo, ut liquet ex ejus Epistola ad Basilium Imperatorem, quæ Actioni primæ ejusdem Synodi inserta est, in qua hæc habentur: *Volumus per vestra pietatis industriam Constantinopolim numerosum celebrari Concilium.* Misit etiam idem Summus Pontifex ad istud Concilium suos Legatos Donatum Ostiensem Episcopum, Stephanum Antistitem Nepefinum, & Marinum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconum, quibus Constantinopolim proficiscentibus libellum dedit, cui omnes Episcopi subscriberent, alioquin ad confessum, & suffragium Synodale non admitterentur. Præfuerunt huic Concilio Generali Legati Summi Pontificis Hadriani Secundi, sicut legitur in Actione prima ejusdem Concilii, quæ his verbis inchoatur: *Convenientibus Donato, & Stephano Episcopis, & Marino Diacono, locum tenentibus Adriani Archiepiscopi senioris Romæ, & Ignatio Archiepiscopo Constantinopoleos novæ Romæ, & Vicariis Orientis.* Quando igitur Actionibus octava & decima hujus Concilii Generalis Basilii, & Constantinus Imperatores appellantur Præsidentes, id eo in sensu tantum accipi debet, quod isti Imperatores Concilio præfuerint solo sessionis honore, quem ipsi, ut Ecclesiæ defensoribus, derulit sanctæ Synodus, non vero, quod huic Concilio præfuerint Imperatores autoritate sua, & ut Controversiarum fidei, vel causarum Ecclesiasticarum iudices. Inchoata est hæc Generalis Octava Synodus Constantinopoli in celeberrimo Sanctæ Sophiæ templo die quinta Octobris anno dccclxix. fuitque conclusa die ultima mensis Februarii anno dccclxx. Quid autem in toto istius Synodi Generalis decursu gestum ac definitum fuerit, brevis, quam hic referam, singularum decem Actionum, seu sessionum, quæ in ea celebratæ sunt, Historia te docebit.

Actione prima, jubentibus Legatis Hadriani II. Summi Pontificis, lectus est libellus, cui subscribere debent universi Episcopi, Sacerdotes, Clerici, & Monachi, quo videlicet cunctas primum hæreses execrati, & inter alias Iconomachiam, anathema Photio dicere, seque amplecti Synodos a Nicolao I. & Hadriano II. Summis Pontificibus in causa Photii, & Ignatii Romæ habitis profiteri debeant.

Actione secunda, Episcopi, qui a Methodio, vel Ignatio ordinati ad Photium postea defeccerant, necnon Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi offerentes libellum supplicem, quo suæ defectionis veniam, & penitentiam obnixè postulantes, atque ultro subscribentes libello a Romano Pontifice

missis, ad veniam & Communionem admissi sunt, receptisque pristinae dignitatis insignibus, in suo ordine sedere singuli iussi sunt.

Actione tertia, Theodolus Metropolitæ Ancyranus, & Nicephorus Metropolitæ Nicænus, qui a Methodio, vel Ignatio ordinati erant, libello a Romana Sede transmissis cum subscribere detrectarent, a Synodo rejecti sunt. Deinde, lectæ sunt tres Epistolæ, una Basilii Imperatoris ad Nicolaum I. Papam; altera Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani ad eundem Summum Pontificem, & tertia Hadriani II. Summi Pontificis ad Ignatium de Photii damnatione.

Actione quarta, Zacharias, atque Theophilus Pseudo-Episcopi, qui stabant a partibus Photii, cum causam intrusi illius Patriarchæ ab Orientis Patriarchis receptam esse affirmarent, nolentque libello a Romano Pontifice missis subscribere, jubentibus Legatis Apostolicis, foras projecti sunt. Hinc valde sibi gloriatus est Photius, quod hi, alique non pauci, constanter fuissent ipsi patrocinati, ut videre est apud Baronium ad annum dccclxxi. num. xxvii. & sequenti Photii Epistolam ad Episcopos suæ factionis ex exilio scriptam refert.

Actione quinta, Photius ad Concilium citatus venit, & ter interrogatus a Legatis, num SS. Patrum Constitutionem susciperet? nihil plane respondit; sed urgentibus Legatis ut responderet, in hæc tandem verba erupit: *Vocem meam, etiam me tacente, Deus audit.* Ad hæc dixere Legati: *Per silentium non effugies manifestam damnationem:* quibus reposuit Photius: *Nec Jesus tacendo damnationem evasit.* Quare, cum affectato silentio immotus maneret Photius, a Synodo dimissus est commonitus tamen, ut saluti suæ consulere, & ad meliorem frugem se reciperet.

Actione sexta, lecta Nicolai I. Papæ in Photium sententia, condemnationem ejus vehementer urgebant Legati, sed intercesserunt Photii partiarum, quos inter Zacharias Chalcedonenfis Episcopus orationem habuit, qua Ignatium iuste & legitime depositum fuisse ostendere conatus est, sed frustra; nam Metrophanes Sirmiensis Antistes, singula ejus resumens argumenta, solide respondit ad ea, quæ ad deploratam Photii causam defendendam in medium prorulerat. Quibus peractis, Imperator partiarum Photii alloquens, eorum ordinationem graviter taxans, eos hortatus est ad resipiscentiam, concessis illis novem dierum spatium, quo expleto, se iterum Concilio sisterent.

Actione septima, in Synodum introductus est Photius, & cum eo Gregorius Syracusanus, sed cum illorum impudentia magis ac magis invalesceret, nec ulla in ipsis spes emendationis affulgeret, tandem Legati Apostolici latum in utrumque Synodalem anathematismum ex ambone pronuntiari iusserunt.

Actione octava, in ignem conjecta sunt omnia, quæ scripturierat Photius contra Nicolaum I. Pontificem Maximum, & omnia Con-

ciliabula, quæ adversus Ignatium congregaverat. Actum postea de Iconomachis, & Anathematismis in eos, atque in Phorium iteratis.

„ (a) Sicut in hoc concilio generali anathema dictum est, & igni damnata omnia Photii Scripta adversum Nicolaum Pontificem; ita ex opposito Græci quotannis in Dominica orthodoxæ damnabant palam scripta omnia adversus Photium. Quod autem mireris, idem pariter anathema pronunciabant contra scripta omnia adversus Ignatium producta; uti discere licet ex Scripto quodam cui titulus, *Synodi Nicæne secundæ litteræ ad Ecclesiam Alexandrinam*, quas legas apud Montfaucon Bibliothecæ Coislin. pag. 96.

Actione nona, examinati falsi testes, qui contra Sanctum Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum, suadente Phorio, & compellente Michaeli Imperatore, testimonium dixerant; iique crimen confessi, ac sincera penitentia ducti, venia donati sunt.

Actione decima, & ultima, quæ pridie Kalendarum Martiarum, anni dccclxx. celebrata est, conditi sunt xxvii. Canones, ad disciplinam Ecclesiasticam, & causam Photianam spectantes, quos refert, & perdocte explicat noster Natalis Alexander Paragrapho xxii. Dissertationis quartæ in Historiam sæculorum noni, & decimi. In eadem Actione ultima ejusdem Concilii octavi generalis damnatio Photii confirmata est, omniaque Decreta Synodalia singulorum Episcoporum subscriptionibus fuere roborata. Primus subscribendi locus Imperatori, honoris ergo, delatus est a Synodo, sed Imperator officii sui memor, asseruit, se se dumtaxat subscripturum post Legatos Sedis Apostolicæ, & alios Orientis Patriarchas, quod & ita factum est, cum hoc tamen discrimine, quod Legati Summi Pontificis, & Vicarii Patriarcharum Orientis, necnon Episcopi subscripserunt *definientes*, sed Basilium Imperator, & cum eo Constantinus, & Leo ejus filii subscribentes, ea *definitionis voce*, quam Episcoporum dumtaxat propriam noverant, non utuntur, verbaque tantum adhibent exprimentia solam venerationem & consensum datum his omnibus, quæ a Patribus in Synodo fuerant definita.

Absoluta octava Synodo generali, Photius ab Imperatore Basilio in exilium ablegatus pacem Ecclesiæ per decennium exilii sui perturbare haud potuit. Ast, mortuo Sancto Ignatio Patriarcha Constantinopolitano, anno dccclxxvii. Photius Sedem Constantinopolitanam iterum invasit, induxitque suis fraudibus Basilium Imperatorem, ut Legationem ad Joannem VIII. Pontificem Romanum decerneret, qua illum in Sedis Apostolicæ communionem suscipi, & in Patriarchali Sede confirmari obnixè postulavit. His Imperatoris litteris sollicitatus Pontifex Maximus rescripsit Imperatori, se propter pacis, & unitatis Ecclesiasticæ bonum, de Decessorum suorum & Synodi Œcumenicæ Decretis dispensare, & Photium in communionem Ecclesiæ recipere, ea tamen lege, ut Photius in Synodo co-